

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Andreas Hoierus Hartmann Koch

**Partis Secundae Axiomat. Disputatio Prima De Axiomatibus Simplicis Et
Compositi; Totius Et Partis**

Rostochii: Kilius, 1649

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730219569>

Druck Freier  Zugang



R N phel 1649
Andreas Stevius
Hausmann Kork



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730219569/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730219569/phys_0002)

DFG

PARTIS SECUNDÆ AXIOMAT,
DISPUTATIO PRIMA

DE

AXIOMATIBUS
SIMPLICIS ET COMPO-
SITI; TOTIUS ET PARTIS,

Quam

D. O. M. A.

Consensu Amplissimæ Facult.

Philosophicæ,

SUB PRÆSIDIO

MANDREÆ HOIERI, Cimbri,

Publicè tuebitur.


HARTMANNUS Koch,

Neofaniensis Dithmarsus.

Habebitur die 10. Nov. in Auditorio Majori.

ANNO æRÆ CHRISTIANÆ

1649.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILLI, Academia Typogr.

VIRIS

Nobilissimo Amplissimo & Excellentissimo

DN. JOHANNI Bojen/ J. U. D. & Dithmar-
fiæ Hesperiæ Ephoro Spectabili, DOMINO meo
& Promotori Magno;

Clarissimo, multaq; experientia excellentissimo

DN. JACOBO THOMÆO, Phil. & Me-
dic. D. nec non Provinciæ Eiderstadensis Physico
Ordinario, Affini & Compatri meo jugiter ho-
norando;

Reverendo & Clarissimo

DN. HARTMANNO Koch/ Neofan. in Dith-
mars. Pastori vigilantissimo & meritissimo, Syno-
di Eccl. Borealis Seniorigravissimo, & Medicinæ
Practicæ Cultori, Parenti meo pli colendo &
amando;

Ut & Reverendo & Doctissimo

DN. BARTHOLDO HEILIGEMUNDO,
Ecclesiastæ ibid. Optimo, & optimo Fautori meo;

Hunc primum ingenij mei proven-
tum (quanto tenueror est, tanto
uberiori affectu)

CONSECRO
Hartmannus Koch/ R E S P.

Regulas Philosophicas aliquot disputationibus pertexere animus est; Rem difficilem, **E**magnis undiq^s, obscuritatibus involutam: quam intactam relinquere tutius fortasse foret, quam ingenij culpā deterere. Sed placent difficultia, quod pulchra: **E**n quibus si non ubiq^s, quod optamus, consequamur, voluisse sat sit. Ingenij modulum L. m^q, agnoscimus: quem ubi vis laqueos effugiturum vix est, ut speremus. Omnibus horis sapere Divinum est; mortalium nemini contingit: Panidis suffragia nihil morramur: qui loqui nescit, huic precamur, ut tacere dicat. Roscijs **E**Boni si faverint, verborum strepitus non modò non movebimur; sed in super animus nobis addetur, ut quod Minerva negat, labor improbus, DEO benedicente, præstet. **A** scopo autem ne imprudentes aberremus, viam disp. I. part 1. indicatam sine diverticulis insistemus. **V**os igitur Lectores auditoresq^s, benevoli:

Favete, adeste æquō animō & rem cognoscite,
Ut per noscatis, ecquid spei sit reliquum,
Post hac quæ dederim de integro axiomata,
Probanda, an exigenda sint vobis prius.

A 2

Ax. I.



Ax. I.

Simplex est prius compositum.



Ristoteli i. Physic. c. 1. & 2. hoc adscribit H. Nolius system: Metaph. l. 2. c. iii. Alius ē Scoto i. dist. 8. q. 1. idem adfert: quanquam quoad literam nec apud illum, nec apud hunc inveniatur. Quum tamen per bonam consequentiam inde non modo eliciatur; sed & communi Philosophorum calculo in axiomatum numerum jure meritoq; receptum sit, nostrum non est, ei dicam scribere. Quin potius, ut de genuino ejus sensu constet & usu, quibus circumscrribatur limitibus, pro ingenij modulo ostendemus. Notat igitur 1. ly simplex aliquando illud, quod ē Thom: de Aquin. p. 1. q. 6. a. 8 & q. 11. art. 1. Metaphysicorum nonnulli indivisibile, seu summè indivisibile; alij absolutum nuncupant; Jul. Cesar. Scaliger exerc. CXL. f. 13 summum dicit: aliquando vero materiam infert; quod quia minùs est compositum, respectivum nominare consueverunt: Scaliger d. l. in medium & imum distribuit: hoc utrumq; vel cum parte, quam ingreditur, vel cum suo toto comparari potest. 2. vocula prius docente Philosopho metà rās agnay. c. 13. multis modis sumitur. Primus est ratione temporis, quem idem ibidem præcipuum dicit. Secundus eorum, que non convertuntur essendi consequentiā, seu, ut hoc interpretantur Conimbricenses explan. cap. ii. l. d. quando unius existentia infertur ab existentiā alterius, eam tamen non infert: quō pactō se habent superiora respectu inferiorum.

I. x. A.

fiorum. *Tertius* ab ordine denominatur: Huc, quam ad institutum facere docet Cl. Piccardus disp. 18. de doctrinā clementari veterum, distinctionem in cognitionem confusam & distinctam referendam censemus. A *quarto* quod dignius est, nomen habet. *Ultimus* est eorum, quæ essendi consequentia (ut loquuntur D. D.) reciprocantur. De hoc ait *Aristoteles*, quod à natura non incommodè dicatur: Solet tamen etiam à Philosophis hōc titulō insigniri: qui secundō locō ponitur. Quandō autem in his inferioribus docente *Zabarella* de meth. I. i. c. VI. aliud primas obtinet à natura generante, aliud ab intendente, & hunc, utpote ē quo non parum subsidijs petere licet, r̄s prioris modis annumerandum autumamus. His præmissis axioma verum pronunciamus, si intelligatur 1. de simplicissimo & absoluō, 2. de respectivo utroq; tam medio, quam imo ad suum totum relato. modò in omnibus excipiatur prioritas, ut ita loquāmur, cognitionis confusa; in duobus autem posterioribus etiam ea, quæ ratione dignitatis & naturae intendentes sunt. Fallit autem regula si medium & imum simplex cum ea parte, quam ingreditur conferatur: illis enim præ composito nulla ē prædictis r̄s prioris significationibus conceditur: nisi forte dignitatis, cognitionis confusa & nature generantis. *Scaliger* l. 4. de caus. L. L. regulam ita effert: *Compositum est posterius suō simpli*, quam ē dictis, quia oppositorum eadem est ratio, enodare in proclivi est.

AX. II.

Simplex est perfectius suō compositō.

Scoti hoc est i. dist. 8. q. 1. & *Sorcin*: 4. Metaph. q. 14. à quo non abludit illud aliorum: *Quid est simplicius, eo est perfectius*. Utrumq; ē *Cajetano* de ente & essent. c. 2. impugnari potest; nisi sit, quod putat *Suariz* disp.

A 3

Metaph.

Metaph. 30, f. 3: n. 3. ut in verbis potius quam re dissensio sit. Nos, ut cuivis etiam hic inoffensò pede progressi liceat, præterquam, quod è superiori exegesi primam distinctionem applicare possemus, cum Autore append. ad Beda & Waf. axiomata, ax. LIV. discrimen facimus inter simplicia aeterna, spiritualia ac formalia, & inter corruptibilia ac materialia: de illis, non de his axioma interpretandū judicamus. Capsus in pathogr. ent. eluc. XVI. de substantiis simplicibus per se in suâ simplicitate subsistentibus illud explicat. Fr. Suarez disp. d. hanc rem ita decidit. Ceteris, ait, paribus, id quod est simplicius, perfectius est, quamvis absolute non semper quod est simplicius, sit melius: est enim simplicior pars, quam totum; non tamen perfectior: & similiter accidentis sepe est simplicius, quam substantia, licet sit in inferiore ordine & gradu entis: sedendo vero inter eundem gradum ac ceteris paribus simplicitas perfectionem indicat.

Ax. III.

Simplicitas tollit compositionem.

Manifestum hoc est, de simplicitate summa & compositione reali expositum. Contradictionem enim non licet effugere, si enti simplicissimo compositionem veram, tribuamus. Ceterum quia varijs ap. Scholasticos referuntur compositionis modi, quos præter Pererium Metaphysicorum plerique agnoscant, & ex his canonem describere placet. Est vero 1. ex materia & forma: 2. ex partibus integrantibus. 3. ex substantia sive (ut loquuntur Alexander ab Alex. 7. Metaph. comm. 7. t. 14. & alij) subjecto & accidentibus: 4. ex genere & differentia 5. ex natura & supposito: 6. ex esse seu existentia (ut docet Suarez. disp. 30. f. 4, & 31. f. 13.) & essentia; quorum explicationem cum ubique Metaphysicorum videre sit, & nos quoque in disp. Metaph. II. th. 2. dederim.

15

dederimus studiò præterimus. Addunt his *alijs* compositionem ex *differentia & differentia*, ut & *accidente & accidente*, de qui bus videatur quæ in omnium manibus est metaphysice cl. Scheibleri l. i. c. 5. t. 4; a. 5. & 9. Apud Doctorem quem ob singulare acutum & eruditioñem irrefragabilem vocant, expos. 12. Metaph. t. 49. reperimus etiam aliam compositionis rationem, quô np. aliquid ex quidditate participata (ut ipse loquitur) & participante quidditatem constare dicitur: qui fortasse aliquando ad tertiam; nonnunquam etiam ad ultimam revocari potest. ita tamen, ut *hec* non ex mente *Suarij*, sed illorum DD. qui per *essentiam* intelligunt unumquodq; *ens in abstracto*, seu *id quo est*; per *esse autem id quod habet essentiam*. Ab his omnibus excludimus Deum Opt. Max. Conferat, qui volet, Cl. D. Scheiblerum Metaph. p. spec. c. 2. de *simplicitate*. DEI & PI. Rever. D. Klozium pneumatolog. Angeli autem non omnis compositionis expertes sunt, sed admittunt 3, 4, 5, & 6. ut & reliqua, quæ super sunt *simplicitatis media* præter *quintum compositionis modum*, quem quia partes sunt, reipuunt. De *ima simplicitate* alibi.

Ax. IV.

Simplex non resolvitur in partes.

Animæ immortalitatem demonstratus Scaliger exerc. CCCVII. s. 20. idem h. m. effert. *Nullum simplex resolvitur in sua principia.* Ratio in propatulo est: nulla enim *principia aut partes* compositione, ut loquitur Mendoza disp. phys. 6. s. 1. affecta habet. Debent verò *partes*, priusquam canon ad usum transferatur, accurate expli- cari: Sunt enim ex multiplicitis potestatis: nam veluti tradit Armandus de bello visu. tr. 2. term. transc. cap. CCLVI. aliæ sunt *essentialis*, aliæ *quantitativa*, aliæ *rati- nis* aliæ

nis, aliæ *virtuales*, aliæ *subjectiva*, aliæ deniq; numeri comprehendentes partes numeratas rationis discreti. Ex his *essentiales* & *quantitativa* s. *integrates* propriè & univocè, reliqua *impropriè* seu *equivoce* parsium nomen merentur. Hinc, si de simplici tam summo & absoluto quām respectivo medio axioma explicemus, omnem in veras ac propriè dictas partes resolutionem exulare clarez.

Ax. V.

Totum est nobilior suā formā.

Per *totum* intelligunt h. l. *compositum*: quod cum suam perfectionem à *formā* consequatur, ignobilior eā censent *Fandunus* s. *Metaphys.* q. 16. & *Zimara th.* prop. 10. Propter quod enim *uum quodq; tale est, id magis tale*, ut habet *Philosophorum regula*: Imò *compositum* continet in se *materiam* quæ sicuti *imperfectionum* q. *mater est*: ita *composito* defectum potius & ignobilitatem quām splendorem conciliat. Ratum tamen manet axioma, & *Patronos* habet *p̄eclaros*. *Thomam Aquin.* 3: p. q. 6. a. 5. *Durandum* in 3. *dist.* 2. q. 2. *Socin.* 7. *Metaphys.* quæst. 18. *Cōnimbr.* l. 2. phys. c. 7. q. 5. a. 1 cuius rei probationem pertinet etiam ex ipso *Philosopho* 7. *Metaph.* c. 3. ubi cum *Aphroditi* si legunt: si prior *forma* sit, & *magis ens* quām *materia*, & id quog; quod ex utrinq; constat, prius per rationem eandem erit. Unde quod totam alterius perfectionem, & adhuc aliud quid continet, id eō præstantius jure meritoq; judicatur. Alias rationes studio præterimus, utpote quibus non est institutum, canones probare, sed distinctionibus ac limitationibus suis descriptos dare. Tenendum igitur heic est, quod tradit *Peterius* l. 6 de princ. nat. cap. 5. *Formam* spectari vel ut habet esse in materia, vel ut ab ea separatur. hoc modō *totum seu compositum* eā nobilior esse ē superiori patet. Quod præter ejus perfectio-

missa

47

fectionem, etiam à materia perficiatur; ut potest quæ com-
mune receptaculum & quasi gremium est accidentium,
quibus res corporea in suo gradu perfectior redditur,

Ax. VI.

Totum est maius suis partibus.

Res est perspicua: quamprimum enim, ut inquit
Zabarella in 1. post. analyt. cont. 21: intelligimus, quid signi-
facent totum & pars, statim & hoc axioma cognoscitur: unde
& à Domin. de Flandr. 4. Metaph. q. 6. aliisq. Philosophis in-
ter principia per se & ex naturali lumine nostra refertur, quod
tamen cum grano salis accipiendum est. Nisi enim ob-
servetur distinctio 1. inter totum univocum, quod vel es-
sentialis vel integrale est, & aquirocè sumptum, 2. inter τὸ ma-
ius seu quantitatem, quam Aristoteles 4. Metaph. cap. 13.
μεγεθὴ sive dimensivam vocat, Scholastici à mole deno-
minant; & virtualem sive virtutis 3. inter partes disjunctim
& unitè consideratas, frustra sumus. Unde veritatem suam
non obtinet regula, nisi de τοτο univoco integrali ratione
molis, & essentiali ratione virtutis, & de partibus seorsim sum-
pus declaretur. Clarius ita proponitur: *Totum est maius
sua parte.* Sed instet adhuc aliquis eum Jesuite ade-
Reep, posse dari partem toto majorēm, v. g. si quis digi-
tō instar turris prædictus esset, ille certè hominem ma-
gnitudine multū superaret. Verū & huic paratam,
habemus responcionem: Præterquam enim, quod ejus-
modi casus non detur, liquet, quod digitus ille, ut recte
idem notavit, toti suo adjunctus, homine minor sit. Huc
pertinent & hæc:

1. *Partes singula continent minus toto.*

2. *Partes simul sumpta & coordinate constituant toto,*

B

Ax. VII

Ax. VII.

Omne totum est divisibile in partes.

Id si de omni toto acceptum velimus, concipient
æ sunt *partes ad modum totius*. Unde veluti non omne
totum partibus constat realiter differentiis à suo toto; vel
uti tradit Armandus de B. U. l. 2. t. cap. 257. ita etiam
non est in omnito quærenda *divisio realis seu physica*;
sed quandoq; sufficit eâ, qua à mente fingitur. vid. Tipl.
3. Metaphys. c. 5. q. 6.

Ax. VIII.

Totum à suis partibus differt.

Ethoc Jacobus Zabarella 1. post. cont. 24. iis natu
rà principiis, quæ suprà cont. 21. dignitates appellaverat,
accenset: De differentia autem *totius à partibus* non exi
guum inter Metaphysicos fovetur dissidium. Cajetanus
3. p. q. 6. a. 5. Ferrar. 4. contra gentes c. 81. Fayellus 7.
Metaphys. q. ult. Anton Andreas 7. Metaphys. q. 18.
& ut appareat, ipse acutissimus Doctor 8. Metaph. q. 4. & 3.
sent. dist. 2. q. 2. reale discriminem ponunt. Nec desunt, qui
Aristotele in hanc sententia ire, è 5. Metaph. c. 14. 7. Me
taph. cap. 17. 2. de an. c. aliisq; locis probant. Alij di
stinctionem quidem ex rei natura inter totum & partes
concedunt; sed modalem, non realem. Pleriq; pro discri
mine rationis, & quod tantum à parte conceptus est, militant;
Cum quibus facit Thomas 4. contr. gent. c. 18. & interpre
tum pleriq; ad 1. Phys. imprimis græci, si Suario credimus,
Durandus quoq; 3. dist. 2. q. 2. alij. A quibus omni
bus secessionem facit Soncinas 7. Metaph. q. ult. qui ea
& ex natura rei & ratione distincta dicere probable cen
set. Nos facta prius mentione distinctionis inter *totum*
relatum

relatum ad singulas partes & ad universas, easq; vel se junctas
vel unitas, illō & istō modō iis differentiam ex naturā rei
adscribimus; hoc autem nullam nisi rationis intercedere
arbitramur.

Ax. IX.

Totum & partes sunt ejusdem prädicamenti.

Ita communis Patria Praeceptor lib. 1. dial. & Scaliger
2. de plant. docent: & rectè quidem, quoties sermo est
de *totum universali*: Hinc enim canon; genus & speciem ad
idem prädicamentum pertinere. Quod si verò etiam ad to-
tum *essentialē* aut *integrale* illud applicare placeat, non
concedimus, nisi de eo, quod est *unum per se*, aut etiam *ag-
gregatum ordinatum*; observatō tamen discrimine inter
sedem in prædicam. *directam & reduplicatam*; Hanc par-
tes tenent; *ilam totum sibi vendicat.*

Ax. X.

Totum & partes in eadem scientia

considerantur;

Quod alterius pars est, inquit Zabarella 2. de nat. Log.
6. 3. prius simpliciter considerandum est, postea cum respectu ad
totum hoc concediposet, si rectè intelligatur; quando en. de to-
to agimus & ipsius strukturam consideramus, non possumus, non
ejus partes considerare in ea ipsa tractatione totius: Quod si
partes ejus sine relatione ad totum sunt aliquid & absolutam
habent naturam, eam tractationem absolutam oportet præfis-
se tractationi totius: sic enim perfecta & partium & totius co-
gnitio habetur. Inferimus itaq; totum & partes relatè consi-
deratas ejusdem esse disciplina ac scientia; non verò si abso-
lutè spectentur. Hinc animat̄ non modò ad physicam;
sed etiam, licet alia ratione, ad Metaphysicam, vel, ut.

Recentiores volunt, ad pneumatologiam revocatur.
 Atq; ita se res habet de *toto univoco*: quod si verò etiā ad *universale & Logicum eiusq; partes* progrediamur, alia res est, concessò en. de iis canone, sequitur quod docet
Antonius Mir. *Metaphysicam esse confluxum omnium scientiarum, in quo ea continantur ut partes, nisi distinguamus inter considerationem partium implicitam ac confusam, & explicitam ac distinctam.* Ubi de *universalis vel logico toto agitur*, ibi etiam partes ejus perpenduntur; sed *implicitè & confusè non semper distinctè & explicitè*. *Cf. Scheibl.* addit etiam hoc, *agi de specie in relatione ad genus, ubi de genere agitur.* *Qui autem hōc modō de parte agit, simul totum considerat.* ut docet *Zabarella d. l.*

Ax. X I.

Totum est prius partibus.

Ax. X II.

Pars est prior toto.

Utroq; utuntur Sapientes, & tolli potest apparens contradictione limitatione. Est enim *totum univocum* (de quo canon primariò loquitur) prius 1. *naturā intenden-*
te, 2. dignitate 3. cognitione confusa: partes verò ratione
1. natura generantis 2. temporis 3. cognitionis distincta primum locum occupant, ut *habent Fonseca* 1. *Metaphys. cap. 2.* q. 2. s. 1. & *Cf. Sthalius regul. philos. tit. 9. reg. 2. &* alij. *Scherbius* tamen accuratissimus Philosophus de cognitione in artis apodict. fragment. th. 51. & seqq. ita differit: *Partes & toto, quā talia, sub eandem scientiam eadunt.* Non tamen necesse est, *totum perfectè cognoscamus ante partes: sed satis est si adumbratam & rudem illius intelligentiam habeamus.* Neḡ verò rursus partes necesse & prius perfectè cognoscamus.

cognoscamus ante Totum: quavis ad perfectam Totsius cognitionem, necessaria sit cognitio partium. Itaq; hic, modo à Parte, modò à Toto, undē facultas quis dicit, doctrina sumitur initium. Perfectè utraq; simul cognoscuntur. Hinc antequam abeamus, notatum cupimus, quod docet Zabarella, partes spectari vel sine relatione ad totum, vel ut absolutam habent entitatem. Non igitur valet quod obicitur, relata esse simul naturā. Conferantur ē Recentioribus Hesselb. in theor. Log. cap. 7. q. 2. explic. axiom. venerab. Bed. ax. 128. Scheibl. top. c. 28-n. 6. n. 102. nec non sent. l. exerc. 15. ax. n. Schal. regul. philos. tit. IX reg. 2. Sagittar. axiom. Log. cent. 4. decur. VII I. ax. 10. & X. ax. 8.

Ax. XIII.

Totum non prædicatur de parte.

Totius varias esse acceptiones ex exegesi axiom. 3. innotescit: Quod si igitur de toto aniversali heic agi quis putet, ille consulat axioma 6. disputationis secundæ part. I. & Complut. disp. Log. V. q. V. Id modò adjicimus, predicationum aliam esse naturalem, quæ ei nō convenit; illa à Complutens. disp. IV. de passi. univ. quæst. 3. & Roder. de Ariaga disp. VI. Log. seEt. X. subs. I. directa; hac indirecta nucupatur. Videantur etiam Conimbric. ad præfat. Porph. q. 1. a. 4. Zabarella in lib. I. post analyt. c. XV I. cont. 137. Crell. p. com. I. 2. c. 3. &c. Quod quomodò applicari debeat, ex seq. canonis explicacione patet. Sed ob hoc totum regulam formatam non arbitramur: De toto univoco dicto seu essentiali & integrali negatur, quod de partibus affirmetur prædicatione directâ five naturali, aut etiam in casu recto, vel in abstracto: nam contra naturam, in obliquo & in concreto totum de partibus dici,

tingulenti & int̄ formatae & materialē respectu-
terialit̄ ex exemplis innoteſcit. Sunt qui totum integrāle ſimilare
ad eū: q̄d excipiunt. Ad quod quid reponi liceat, ex Durando 2. diſt.
3. q. 3. conſtat. Consul. et iam Cl. Stbal. reg. philos. tit. IX,
tit̄ ſub reg. IX.
tutis: regulae
magis de parva
q̄ ſe ſint.

Ax. XIV.

Pars non prædicatur de toto.

Nihil enim, inquit Phil. Mel. p. m. l. i. dialect. prædicare
ri potest, niſi sit aquale aut communius. Hinc itaq; pars, quia
angustior, non potest enunciari de toto in casu recto & in
quæſione quid est: ubi tamen diſtinguiimus i. inter partes,
quæ ad ſubſtantiarum & ad accidentium classem pertinent.
Ult & inter totum eſſentialē, integrāle & universale: De hoc
quidem prædicantur partes, ſed contra naturam & indirec-
tē: vid. Roder. de Ariaga diſ. d. & Colleg. Compl. diſp. log.
IV. q. III. de illo & iſto etiam prædicantur accidents directē,
& in casu recto, ſed in concreto: non verò in abstracto:
Conf. Meisn. p. 2. Phil. ſobr. ſ. i. q. 15. Quod poſtre-
num non immerito quispiam miretur, cum non modò
ariftoreles l. categor. c. de ſubſtantia adſerat, ſed & DD. communiter tradant,
concreta accidentium eandem rem ſignificare cum ab-
ſtractis. Vid. Cajet. de ent. & eſſent. cap 7. ſonc. 5. Me-
taphys. q. 38. Suarez. diſp. XXXIX. ſ. i. & imprimis
Fonſeca 5. Metaph. cap. 7. c. 5. ſ. 3.

Ax. XV.

Quod prædicatur de toto, prædicatur etiam
de parte.

Ax. XVI.

Quod prædicatur de parte, prædicatur etiam
de toto.

Oppo-

Oppositō modō proponit ea Cl. Scheiblerus I. sentent. ex. 15: Non, inquit, quicquid tribuitur toti, tribuitur etiam partibus: nec qua partibus convenient, necessariō convenient toti: Secutus fortē Timplerum, cuius verba 3. Metaph. c. 5. q. 3. hæc sunt: Non qua parti insunt, & toti insunt: &: Non qua toti insunt, & partibus insunt. Verūm, si rem penitiū intropiciamus, optimē inter se convenient, & tolli potest, quæ videtur contradictio, si debitā ratione enucleentur. Sciendum enim est i. ea, quæ prædicantur de *toto ut toto*, & *partibus ut talibus*, seu formaliter, alteri non communicari, sed quæ iis materialiter & ratione rei substrate tribuuntur 2. & hoc notandum attributa, *qua ex partium unionе resultant*, non convenire partibus, verūm toti, ut contra *absoluta prædicata*, & *qua partibus seorsim sumptis* competunt, de *toto* nō affirmari: Ea verò, quæ toti *essentiali secundum utramq; partem* insunt, prædicari de partibus, & vice versa; quæ *utrig; parti* insunt de *toto* prædicari. 3. & hoc observandum attributorum alia esse *essentialia*; alia *accidentalia*; alia quoq; *generalia*; alia *specialia* vocari: Quicquid enim I. ratione attributorum *essentialium* s. *essentialiter de toto homogeneo* concluditur, id quoq; *omnibus ejus partibus* inest: & vicissim. Contrà se res habet, si de *attributis accidentalibus* loquamur. II. Quicquid affirmatur de *toto heterogeneo*, si fuerit *generale prædicatu*, id etiam de *singulis ejus partibus* affirmatur, & vice versa: Quicquid prædicatur *generaliter de partibus heterogeniis*, id prædicatur de *toto*. Varias objectiones contra datas limitationes attulit J. Hunoldus syn. can: Log. explic. I. 1. can. 3. De *toto universalie* infrā cum bono D E O uberiorū agemus. Aliis explicationibus qui delectatur, audeat ē Recentioribus Perer: de philos. c. 7. Sibyl. tit. 9.

regg. 10.

resg. io. & ii. Scheibl. l. sent. exer. 15. Axx. 5, 6. & 7. sc.
guitar. cont. ax. Log. 4. decur. 8. ax. 8.

Ax. XVII.

Totum est in parte.

Ax. XVIII.

Pars est in toto.

In corpore in partibus Utrumq; est Philosophi 4. Physic. cap. 3. & ratio ma-
mamentali. manifesta est, si de *toto universali* & *eius partibus* *termo* sit: ita
animalite enim utrumq; recte dicimus, np. & *animal esse in homine*, &
hominem in animali. *Totum autem univocum* est in suis par-
partituali. *tibus* tanquam in *causis*; de quo inexistendi modo vidi-
uelut subjecti Aristotel. d. l. *Partes autem sunt in Toto subjectivâ potes-*
tate. Unde *Taurell.* l. i. Alp. Cæs. q. i. n. 4 clarius ita in-
fit: Pars nulla est exera totum. Quo spectat etiam illud *eius-*
dem d. l. Pars non patet latius toto.

Ax. XIX.

Positô totô necesse est ponî partes.

Consequentiarum doctrinæ hoc non parum inservit; ita enim si v. g. aliquid animal sit, firmitè concluditur, illud constare corpore & anima: verum enim verò neç hoc *absolutè* in disputationibus admitti potest: Sed di-*stinguendum* 1. *inter partes principales & minus principales;* sic positô infante non statim ipsô actu ponuntur partes omnes. Unde & *Philippus* l. 4. dial. & ex eo *Sagitt.* axiom. log. decur. 7. cap. 8. h. m. canonem proferunt: *Positô* *toto necesse est ponî omnes partes principales* 2. *Observetur* di-*scrimen* *inter partes essentiales & accidentales.* Ita positô homine ponuntur corpus & anima rationalis: at non statim accidentia, & quæ adesse vel abesse citra subjecti in-*teritum possunt.*

Ax. XX.

Sublatâ parte tollitur totum.

philippus Mel. l. 4. dial. ita: *Destructâ und principiâ parte, totum destruitur.* Hinc vicissim ansam sumimus distinguendi inter partes *principales & minus principales.* De his verum est axioma: rectè enim v.g. dicimus; amputatō capite totum quoq; destructum esse. Excipi autem debent partes, quas *subjectivas* appellant: non enim statim periret brutum, si leo vel alia quæpiam ejus species aboleretur. Applicetur g. axioma ad *totum univocum ejusq; partes*, & res salva erit. Conferatur Fonseca 7. Dial.

C. 17.

Ax. XXI.

Omnis pars est incompletum ens.

Nisi enim hoc concedatur, non possent partes *unum per se componere* juxta ax. 2. Disput. 3. part. 1. quo cum subtiliss. Scaligero exercit. CCLXVIII, *duo unum fieri negamus.* Est verò *ens incompletum*, ut communiter docetur, quod naturā suā tanquam pars, vel aliud complementū ordinatum est ad ens per se constituendum. Quod si itaq; de *partibus integralis totius canonem exponamus*, limitatione opus non est; sicuti neq; si de *partibus essentiis*: ubi tamen nonnulli arbitrantur animam rationalem excipiendam, quod non videatur posse dici incompleta, cum etiam separata à materiâ per se existat. Quem scrupulum ut tollamus, cum Conimbric. l. 2. de an. c. 1. q. 2 a. 2. advertimus, nō subsistere trifariam apud Philosophos accipi. Primo modo de eo, quod non est in *subjecto inhabitionis* 2. quod non est in aliquo, à quo in suo esse dependeat 3. quod negat adū negat poteat est in aliquo per modum partis aut forma vel q. formæ. Itaq; quamvis de anima rationali dici possit, quod habeat quadantenus esse per se subsistens: id

C

tamen

Syll. 4. t
Circo c
Caro p
Littera ill
Corpus En
Plato C
Athena C
R. hinc A
quicquid pr
Cyp. Corp
hi comple
mentaria as

tamen non est intelligendum de ultimo; sed de primo & imprimis de medio per se subsistendi modo. Cujus rei uberiori explicationem ut & confirmationem, ne justò longiores simus, non addimus: remittentes Lectorem ad Colleg. Conimbr. d. l. Ad originis autem objectionem quid reponere liceat videre etiam est ap. Thom. i. p. q. 75. a. 7. & contra gentes cap. 94. Ax. XXII.

Dimidium plus totum.

Hesiodi est l. 1. εργ. νὴ τὸν πόρον ubi sic infit: Νήποι εἰνι ιωαντοι
εστοι τάλεσον οἵμου παντούς. Quanquam docente Arist. 4. Metaphys. cap. 26. ἔλεον νὴ πᾶν non per omnia idem sunt: quod tamen heic parum negotij faceſſere nobis potest, cum proverbialis sit locutio: Sumitur autem vocabulum *totum* pro eo, quod *superfluum* & *supervacaneum* est; dimidium autem pro mediocritate, quam ubiq; servandam autumat Poëta; satius enim esse in eâ, quam in extremis subiſſere. Et recte quidem hoc, cum virtus, teste *arte* 2. Eth. Nicom. c. 6. in mediocritate sita sit: quam qui transgreditur, ad vitia declinat. Erasm. Rot. in Chil. adag. t. de modestiâ modoq; trifariam hoc proverbium usurpari docet. 1. cum mediocritatem illam verè auream effeſſemus, citra quam nobile est in rebus humanis nec honestum, nec jucundum, nec laudatum: mediocritatem autem oportunitate metimus. 2. cū antefereſſemus aequalitatem, quā Pythagoras dixit amicitia tū parentem tum altricem: contra inaqualitatem discordiam bellorumq; matrem. 3. si quandō deternebimus ab inferenda injuria, suadebimusq; satius esse injuriam in ſe admittere, quam inferre. Plutarchus hoc dipterum de frugalitate explicat. Esto igitur

modus in rebus, ſint certi deniq; fines.

Quos ultra citrag; nequie conſiſtere rectum.

Dimidium autem facti, qui benè cæpit habet,

πέρης.

Injuriā reprehenditur Keckermannus, quod Logicam Aristotelis perfectam esse neget. *Negatione negativ*

II.

Si modalium Conversio ad modum absolutarum rectè instituatur: non raro usū veniet, ut verā existente conversā, falsa sit convertens.

III.

Si propterea propositio indefinita dicatur, quod non habeat appositorum subiecto communī signum universale aut particulare, duo querimus: 1 an definitio cum suo definito converti debeat? 2 an ejus aliquis usus sit, in indagandā veritate?

IV.

Aut dictum omni ē nullo rei sciendum est, aut negandum, quod vulgo dicitur, universalē limitatione restrictam & equipollere particulari.

Pascōdēs.

I.

Germanos imprimis inferiores à Persis oriundos esse probabile est.

II.

Quamvis multi multa sibi persuadeant: nos tamen arbitramur, ab homine vel nullam rem intelligi. Nulla re non negari possit.

III.

Multi, dum verum dicunt, falsum dicunt.

Mīrā tō ōrū dōzā.

*Verū - Efficientia
Orū fūl -
centū.*

Quid Pars, quid Totum, Cochi Excultissi-
me pandes,

Et justè expendes, Musæ felicia jungent
Auspicia his cœptis, partem sic partibus addent
Doctrina, ut tandem liceat Tibi noscere Totum.
Quod votet doctissimo Dn. Resp.

M. Johannes Corfinius, Eccles.
Mar. & Physices Metaphysicsesq;
Prof. Publ.

Compositum præfert fallacis factio linguae:
Tu simplici partes priores vindicas.
Hoc age; compositam bene cautus protere
Et veritatem adora ubiq; simplicem (Lernam,
deproper.

PRÆSES.

S. TH. ad HARTMANNUM

MAGIRUM, popularem & amicum

non popularem

scriptus ēvφημος

DIC, UBI TE LAEDAT FRIGUS, QUID POSCAT
AMICTUS,
DUM TUA NON HUMILI CASTRA LABORE TENES;
AUT NATALE SOLUM LARGO DISPENDIA DONO
SUPPLEBTIBI, VEL BALTHICA MUSA BREVI,
SI FALLAR, LICEAT TIBI, CUM VEL SIRIUS ARDET
VERTICE ME TECTO PRÆTERUSSE PALAM

Monstrat

MOnstrat pugna virum, sed tantum docta: proba.
Expertumq; potest reddere pugna virum. (tum
Non nisi qui pugnat, poterit sperare triumphum;
Non nisi victorem, grata corona manet.
Hoc Hartmann, minus te clam fuit; ergo subisti
Pugnam, pugnando ut viator abire queas.
Pugna, depugna, pugnando referto triumphum;
Sic Te victorem grata corona manet.

Paucula hæc non moris sed amoris ergo
pedialw apposui

Anthon Gottfried Berger/
Wittib:

Quem dux manūs novenæ
Non æra promererit
Duntaxat ampliora
Signo cupit Minervæ
Tritoniæ sub uno;
Sed quem cibat verendus
Heichospes esculentis
Mecum perinde iisdem
Impletq; potulentis
H A R T M A N N E mollicelle
Phæbicorac ocellæ;
Quas expetis Camænas;
Quas flagitas amænas
A me tibi cantilenas

Dum

Dum ventilationem
Animo sagaciori;
Dum disputationem
Texis retexis idem?
Jubemus en! parentem
Favere, gratulari,
Gaudere, jubilare,
Te, magte, disputare;
Te belligerare bella
Sophum hæc sacrata belle.

Fausti om̄inū ergo scribeb:

Jacobus Sigbertus, Tonningā

Hols.

S Cander non labor est Cathedram & subsumere posse;
Qui poterit plausu victor abire, vir est?
Cochius hoc faciet: Totum & defendere partes
Assumit scrupas objice, quisquis habes.

Affudit hæc Dn. Respondenti Consalinus.

Jacobus Brümmer Kedingo-

Bremensis.

(O)S



Sanctus Jacobus de Kedingo
filius Petri
Quipse de Kedingo
Ecclesis factis. Etiam et Michael operis
et Apollinis factis anno circumscriptionis
Kedingo
Jacobus Sennius Kedingo
Bremenensis



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730219569/phys_0027](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730219569/phys_0027)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730219569/phys_0028](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730219569/phys_0028)

DFG

Monstrat pugna virum, se
Expertumq; potest redi
Non nisi qui pugnat, poterit sp
Non nisi victorem, grata se
Hoc Hartmanne, minus te cla
Pugnam, pugnando ut vid
Pugna, depugna, pugnando re
Sic Te victorem grata coro

Paucula hæc no

Anthon
Qvem dux manu
Non æra prom
Duntaxat ampliora
Signo cupit Miner
Tritoniæ sub uno;
Sed quem cibat ve
Heic hospes esculen
Mecum perinde iisd
Impletq; potulenti;
HARTMANNE
Phæbicolorac ocellæ
Quas expertis Camæ
Quas flagitas amæn
A me tibi cantilenas

the scale towards document




Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. _____

Dum